

tanta fidei, & spei, & charitatis in nobis surgit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea quae sunt ex parte non queramus. His dotibus instructus ad omne opus bonum efficitur homo paratus, cujus animo fides praelucet, cognitio rerum constans, ancipites motus & fluctuationes admissio caelesti lumine componens. Spes autem, quae non confundit,

mentem erigens caelestibus implet divitiis, & anticipato perlinet gaudio salutis. Sed majorum horum est charitas, quae nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, & quicumque in ea manserit, manet in Deo, & Deus in eo.

THESEON IN BIBLIA SACRA QUINTA CLASSIS.

DAVIDICAE STRICTURAE THEOLOGIAE, SEU EXERCITATIONES SACRAE IN PSALMUM SECUNDUM; SUB CONCEPTU SEPTUPLICI THEOLOGICO.

Ecce viciis Leo de tribu Juda, radix David, aperire Librum & solvere septem signacula ejus. Apocalyp. 5. 5.

CONCEPTUS ISAGOGICUS.

Psalum hunc ordine secundum, eumque anepigrammum, fidei primam auctoritate; eque toto deinceps operis, contextu, ac subjecta sibi materia de Rege Messia fuisse a Davide compositum intelligimus. Catmen namque isthoc epinicion Christi personam proprie sustinet: nec Davidis triumphum fat celebres: neque regnum ipsius longe satis lateque productum, ut ei proxime ac directe queat accommodari. Ad quam sententiam praeluxerunt nobis qua veteres, qua nuperi nobiliores etiam Hebraeorum magistri; immo & Muhammedani, qui non in Christum tantummodo, sed & in Jesum speciatim luculentum istud vaticinium convenire docent.

PROPHETICO-HISTORICUS.

Scriba doctus in regno caelorum verè is est, qui de thesauro suo nova proferens & vetera, testamenti prioris oracula cum iis quae narrantur in novo feliciter configere potuit: nempe ex hac foederis utriusque contentione liquido apparet, * testamentum vetus esse occultationem novi; novum autem esse revelationem veteris; quaeque à primis temporibus extant prophetice dicta, in sequioris aevi auctoribus sacris historice fuisse descripta comprobantur. Atque eam optimam quidem esse, nec aliam codices sacros interpretandi formam tutiorem judicavimus, quam si scripturae scripturis, vetera novis dilucidantur; ac ex instituto Davidicorum psalmorum parallelismo, cum plurimis legis Evangelice paragraphis, germanam inde elicere intelligentiam, quae manifesta in ipsis respicend.

ECLOGICO-CRITICUS.

Vare fremuerunt gentes &c. Conspiratam hic Deum adversus & Christum ejus Ethnicorum, ac Judaeorum nequitiam propriis expressit Regius vates distinctisque vocabulis, dum Goim) gentiles fremuisse; Ummim) verò, hoc & Judaeorum tribus inania fuisse meditata aiebat. Quod utique passionis Christi tempore videmus impletum. 2. Astiterunt Reges terrae. Per Hebraismum de solo id Herode dici potuit: juxta patriam vero pharaem de eodem ac Pontio Pilato praenunciatum accipimus. 5. Tunc loquetur ad eos in ira sua &c. Particula isthaec, tunc, temporis opportunitatem sonat, nempe vindicabit Deus in rebelles, quum justitiae tempus id exiget. Loquelam furoris divini interpretatur calamitates & mala, sive supplicia,

quibus atteruntur reprobi secundum justam numinis providentiam tum in hac vita, tum certo in futura. 9. Reges eos in virga ferrea &c. Regit nos Christus inflexibili justitia, conterit superbos insuperabili virtute: cervices enim inimicorum vel caedit, vel sub jugum mittit. Per sceptrum itaque ferreum intelligit Propheta vim, ac regni Christi vires insuperabiles, quod terrena comminuat universa tanquam vasa figlina.

PATRODIDACTICUS.

Invarum vernaculus scripturarum solius literalis intelligentiae minime contentus, reconditae in iis pietatis sensum haud segniter inquirat. Sanctissimorum ideo patrum in terendis lucubrationibus multum assiduus, ut mysticos inde sacrorum codicum sensus eliciat, quos bene cordati omnes è pia majorum suorum traditione deponere malunt, quam ex emarcidis saepius recentiorum commentis, ubi languescit venerabilium litterarum intelligentia. Doctorem itaque in hoc sacrae Catholicae vestigiis toti adherentes, ac disciplinae caelestis aura per ipsos afflati, psalmum * hunc de Christo capite ac membris ejus exponendum censemus. Nempè constitutus in eo Rex importabile legis Moisaicae jugum suos abjicere docet: ne pereant tamen quasi indisciplinatae animae tollere aliud suadet & onus leve subire, ut sic tandem mentis suae spiritu in reges renovati, subjectam sibi noscant carnem regere; donec mortale hoc induerit immortalitatem.

HARMONICUS.

Astorum apparet una facies eloquiorum iis qui cum tremore exultare didicerunt, psalmi juxta hujus momentum propheticum. Pereunt ergo quaestiones illae, ubi pars isthaec instrumenti veteris, ceteris utcumque adversari, nec testimoniis Evangelicae legis congruere videri potuissent. Sincerum modo peccatis adhibeas, ac genuinae interpretationis formam conseres. Mirifica namque novi ac veteris testamenti perseverat semper concordia & conspiratio, quum ad eundem sensum collimare paginas sacras habeamus perspectum; neque diversum aliunde praese ferant illae, licet diversis thesibus inclusum, inter variantes nempe non raro textuum expositorumque lectiones.

GRACO-THALMUDICUS.

UT de tenebris splendescat lumen ad illuminationem scientiae claritatis Christi, quam totus Davidicae hujus scripturae contextus repraesentat, * si qua forte vera, & fidei nostrae accommodata dixerunt Philosophi, non solum formidanda, sed ab eis tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda existimamus. Mentem igitur primigeniam, summi boni filiam, mundi reginam, orbisque moderatricem, quam graecanica summè venerat Theologia, & Cabalistica Rabbiorum traditio Lucem dicit clarificatam אור סודות, & à Luce antiqua emanatam agnoscat; ipsum esse Filium ad quem Propheta Patrem in hoc psalmo loquentem inducit, omnino defendimus. Unde videns profanorum dicta nec in sacris esse repudianda, ea maxime quae dilucidandis Prophetarum oraculis, ac referendis psalmorum altaribus mysteriis usquequaque subservire possint.

ASCETICUS.

Reviarium legis, ac divinarum institutionum enchiridion exhibet psalmus iste, qui nos in cultu exercet verè spirituali, fide scilicet, spe, & charitate, quibus omnis scientia, & prophetia militat. Virtutes praeterea * attemperat mo- rales, dum in casto timore, jucundaque laetitia operandam salutem, & Deo serviendum monet. Nec sacrae politicae praetervit instituta, qui poenarum comminatione multos terret, quum alios recreat fortis felicissimae sponse.

asceticus, dum in casto timore, jucundaque laetitia operandam salutem, & Deo serviendum monet. Nec sacrae politicae praetervit instituta, qui poenarum comminatione multos terret, quum alios recreat fortis felicissimae sponse.

THESEON IN BIBLIA SACRA SEXTA CLASSIS.

THEODIDACTICA SAPIENTIA REGIA ET REDIVIVA PHILOSOPHIA SALOMONICA LIBRO ECCLESIASTIS CONTENTA SUB TRIPLICI CONCEPTU CRITICO.

Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus. 3. Reg. 10. 24.

DISPUTATIO PRIMA PROLEGOMENICA CRITICA GENERALIS.

Nihil sub sole novum. Eccl. 1. 10.

Vanitas vanitatum ergo fuit Philosophorum praecipue Graecorum, laudem è pluribus scientiis & gloriis, sic tanquam ex proprio invento querere, quae tota debebatur praeiis Hebraeorum saeculis; sapientum verò maxime principum Salomoni laudatissimo: hunc enim ante omnes Graecanicas scholas, quatuor in 4 partes doctrinam discevisse suam; Ethicamque, Physicam, Theoricam, ac Logicam cum aliis connexam & consertam tradidisse constat. Categoriam insuper decem ante Architam Tarentinum, vel Aristotelem Stagiritam scrutatum fuisse in Libro Ecclesiastis Salomonem, persuasum est multis hujusce operis lectoribus: namque ut rerum omnium, quae pluris esse solent apud homines, vanitatem ostenderet sapientissimus Ecclesiastes, totum suum Librum vanitati huic intimandae deputavit, sub uno supremo genere de omnibus inferioribus univoce praedicabili, b decem vanitatum genera subalterna collocavit, cum dixit: Vanitatum &c.

Vanitas vanitatum non absurdum omnino omnes prope modum Thalmudistas occupavit; qui in varias levisque distracti partes, nunc Regem Ezechiam; modo Isaiam Prophetam sanctissimum Libri Ecclesiastis auctorem sibi fingunt: quorum opinionem anilem & ridiculam aspernatus nuperus scriptor, ipse in obsonam penitus & vitiosam incurrit, quae Zorobabelum operis hujus constituit artificem. Nos vero iis signatum esse & expressum notis lucubrationis hujus scriptorem deprehendimus, quae uni Salomoni convenire possint: quem tamen Librum, an ante, vel post lapsum ipse suum elaboraverit, incertum nobis esse ingenuè profiteremur. d. Dubiam quoque ejusdem poenitentiam omnino habemus.

DISPUTATIO SECUNDA POLEMICA CRITICA CRITICORUM.

Quum esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum... quae sunt verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. Eccl. 12. 9. & 10.

Impia ergo praeconum Rabbiorum deliberatio, qua Librum Ecclesiastis è sacro protocanonico Librorum Tom. V.

cenit expungere cogitarunt, temeraria illorum vox qua dicere ausi sunt, Ecclesiasten manus contaminare: nec alia re absterri sunt ab eo repudiando penitus & abjiciendo, quam quod & initium Libri, & finis Legi divinae consentiant. Putarunt carnales illi, & in sacris explicandis voluminibus plumbei homines; Ecclesiastae verbis ad vitam ritu belluarum transigendam, & fruendas voluptates incitari homines: In quem Librum si altius penetrassent, in summum ibi & voluptatum & rerum omnium contemptum nos perducere fateantur.

Impia quoque Lutheri Herefiarchae supinitas, quae ad labefactandam Libri hujus dignitatem impudenter nimis ausus est pronuntiare: Ecclesiasten Librum non esse plenum, multum habere abrupta, nullam habere perfectam sententiam. Adeo hebes & fungus fuit vir ille in Lectione divini operis omnia sapientia referti; ad quod legendum, Spiritus sancti gratia, luce, & afflatu implorato, animum attentum quicquid appulerit, nihil in eo salebrosum, nihil abruptum, pendulum, aut dissipatum; sed omnia plena & integra, divinae colligatione sibi cohaerentia reperit.

Detestanda denique hominum hujus temporis procacitas qui in sacris voluminibus non tam vitiorum suorum medelam, quam impietatis patrocinium querere soliti, verbis spiritus sancti errores suos tueri, & Ecclesiasten canonicum scriptorem turpis ac desperatae vitae patronum habere gestiunt, praedicantes eum Parentem Epicureorum, cum fuerit tamen Philosophorum omnium consularium princeps ac magister.

DISPUTATIO TERTIA EXEGETICA CRITICA SELECTA.

Verba sapientum sicut stimuli... his amplius, fili mi, ne requiras. Eccl. 12. 11. & 12.

Caput I.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Partia praesi utitur hic Salomon, qua nihil brevius, nihil vehementius, nihil expressius dici potuit ad auxilium & exaggerationem vanitatis rerum. Vanitatem simpliciter interpretatur insipientiam, fallaciam, & instabilitatem omnium creaturarum. Persona congregans ceteros publicos & Ecclesiasticos. Propter hanc igitur rationem vocatur hic Salomon Ecclesiastes, hoc est concionator.

Nihil sub sole novum. Sine ulla hyperbole hoc simpliciter dictum putamus de praeterentibus & advenientibus generationibus de scientiarum vanitate & curiositate &c. De quibus jam loquutus fuerat Ecclesiastes. Unde videas non innumerabiles Epicuri periodos, aut ullos Platonicos rerum circuitus docuisse Salomonem; sed eundem mundi statum generaliter persistere.

Caput II.

Sapientia quoque perseveravit mecum. Non vera quae desurtum est, sed prudentia carnalis, vel politica; sive sapientia quae discessit de Cedris Libani, quae solvit B b b b ij

enigmata, & fundit parabolas.

v. 24. Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere anima sua bona? Hæc verba non Epicureum: sed Apostolicum sapiunt salem; si moderatè honestè, ac frugaliter ea interpretetis.

Caput III.

v. 21. Qvis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum &c. Non dubius loquitur de animarum immortalitate, sed perstringit hominum opinionem circa idem objectum; quia pauci erant qui crederent, pauciores qui hanc animorum nostrorum intelligentiam immortalitatem. Unde, quis novit? hoc est, quam singularis; quam raris est ille &c.

Caput IV.

v. 2. L Audavi magis mortuos quam viventes, & feliciorum &c. Sententia hæc genuina est ac verissima, si solum vitæ hujus calamitatum perpersionem vel immunitatem spectes, ad quam unice respicit Ecclesiastes: secus enim esset stultissima, & impia.

Caput V.

v. 5. NE dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam. Neque dicas coram angelo, non est providentia. Ex regula antecedentium, & consequentium, quam sacra critica tradit syntaxis, isthæc ad litteram sic intelligenda videtur: ne sis præceptis & festinus ad vovendum Deo, quod propter infirmitatem propriam reddere nequeas: & ne dicas coram angelo qui te custodit, non est providentia, sive ut est in fonte Hebraico כי שגגה הוה, quia error istud, id est, per errorem feci & ignorantiam, improvidè vovi & festinanter; unde ad solvendum non mihi videor alitricus.

Caput VIII.

v. 2. E Go os regis observo, & præcepta juramenti Dei. Hoc de se Salomon profiteri non potuit qui rex fuit,

TRACTATUS CURIOSUS NON INDIGNUS.

THEOLOGIA SACRA ASCETICA, SEU PARADISUS Orationis, & officina virtutum, factorumque affectuum in triplici genere carminis à sancto Spiritu expressa.

P R Æ F A T I O

DE TRIPlici GENERE SACRÆ POESESOS.

Qvia res sacræ non solo intellectu delibandæ sunt, sed etiam perfectio cordis & voluntatis affectu; idcirco sacra Poesis quæ ad affectus propensor est & aptior, magis idonea fuit ad tractanda altissima Theologie scripturarum mysteria. Triplex autem est principalis affectus: primus laudis: secundus letitiæ & amoris: tertius mæroris. Hinc sacra Poesis dividitur in tres principales Libros, quorum primus est ad laudem, scilicet psalterium Davidis: secundus ad Letitiam scilicet Canticum Cantici Salomonis: tertius ad mærorem, scilicet Lamentatio seu planctus Jeremie.

PSALTERIUM DAVIDIS.

EXERCITATIO IN PSALTERIUM DAVIDICUM.

Psalterium propriè quod Hebraicè Nabla dicitur à vacuitate, est unum omnium Musicorum organorum relictissimum, quod 12. tonos habet, & digito carpitur; & sonum ut aiunt Aug. & Beda mysticè à superioribus accipit. Per quod

nec ullum ipse Regem observandum habuit. Quare omnino legendum: Ego, observa: hoc est, ego præcipio tibi ut observes; sic enim interpretes septuaginta: quæ hæc dicitur quædam. Ita & Thargum, & Syrus, & Arabs. Quod autem Hebraica habent יוֹרָא non in benoni, sed in imperativo legitur; nam accentus diacriticus indicat sejungendum esse יוֹרָא à verbo & dictionibus sequentibus. Et præcepta juramenti Dei, hoc est, fidem quam Regi jure jurando præstitisti.

Caput X.

v. 20. IN cogitatione tua Regi ne detrahas quia & aves cæli portabant vocem suam, & qui habet penas annuntiabit sententiam. Hyperbolicum multis comma istud videtur; quomodo solemus dicere etiam ipsos parietes, quibus conscientis loquimur, quæ audierint non celaturos. Non vulgarem hinc alii propositiam subodorantur, quæ delatoris officium ad perferendam detractionem volucris tribuit; sicut interdum firmamento ministerium predicatoris. Genuinum nos hujus sententiæ sensum literalem metaphorice suspicamus, quo per aves cæli demones exprimitur; qui erratico calumniæ ac perturbationis famulatu, aure ad aurem detractiones etiam occultissimas perferre conueverunt.

Caput XII.

v. 13. D Eum time, & mandata ejus observa, hoc est enim est omnis homo. Terminus communis & universalis, pro integrante, ac perfectivo. Omnis igitur homo, nihil aliud sonat, quàm hominem præstantissimum, qui timore creatoris sui & observatione mandatorum Dei, in virum perfectum occurrit, & mensuram plenitudinis suæ; bonumque hominis viatoris unicum adinvenit. Itaque hoc est omnis homo, quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis, factus ipse universa vanitas.

differt à cythara ut notat Aug. in psalm. 32. v. 42. nam cythara ex inferiori parte lignum habet cavum & sonorum: psalterium autem ex superiori parte habet testudinem, id est, cavum illud lignum, cui chordæ innitentes resonant.

Psalterii nomine intelligitur etiam liber psalmodiarum 150. qui ab Hebræis inscribitur Teillim, i, Liber hymnorum. À Græcis dicitur ψαλμοί δαυιδ; & à Remigio, liber soliloquiorum cum Christo, vel de Christo, quia plerique psalmi respiciunt Christum.

D. Athanas. in synopsi asserit Davidem scripsisse tria milia psalmodiarum ex quibus amici Regis Ezechie solos 150. collegere; cæteris absconditis ne ad vulgi notitiam pervenirent. Hic itaque Liber maxime propriè intulatur Liber hymnorum: hymnus enim est propriè laus metricè scripta. Constat autem totum psalterium in Hebræo metricè scriptum esse; quamquam Græcè & Latine redditum non servet mensuram hanc metricam. Psalmus est carmen quod scilicet cum psalterii instrumento suavi voce perficitur: Canticum verò seu ode vox quædam est musica cum harmonia solo ore prolata. Quamquam impropiè ipsum etiam canticum sepe psalmus dicitur: est autem canticum psalmo antiquius; Moyses namque cantici auctor fuit, sicut David psalmodiarum. Basiliius in psal. 29. Euthymius.

Est autem differentia inter canticum psalmi, & psalmum cantici. quod canticum psalmi tunc est quando musicè per organicum instrumentum prius disponitur, & deinde conse-

quitur vox ore emissa, quæ secundum occupat locum. Psalmus verò cantici è contra dicitur: quando præcedit canticum humano ore, quæ deinde organo exprimitur.

QUÆSTIO TERTIA.

De objecto attributionis Psalmorum.

Divus Chrysostomus ait psalmodiarum argumentum esse Christum Deum & hominem. Divus Hilarius esse Christi mysteria. Cassiodorus esse Christum integrum, scilicet, caput & membra, id est, Ecclesiam. Remigius esse hominem dejectum in miserias per peccatum, nec inde valentem resurgere nisi per misericordiam Dei. Euthymius argumentum psalmodiarum ad 10. cap. revocat. 1. Namque agit Propheta de propriis ærumnis & laboribus. 2. De rebus naturalibus & universis Dei opificio, ut, Domine Dominus noster &c. Cæli enarrant gloriam Dei. 3. De crucis dispensatione. 4. De prophetia eorum quæ post Christi ascensionem contingerent. 5. De Theologia summæ Trinitatis. 6. De intellectualibus creaturis, puta de angelis, demones, anima, ejusque moribus & potentiis. 7. De morum disciplina & institutione, ut, Declina a malo & fac bonum. 8. De cogitationibus hominum, ubi de insidiis demonum, de sedatione passionum, & de pugna contra illas. 9. De mandatis & præceptis divinis, de quibus præcipue est Psalmus Alphabeticus 118. 10. Denique de antiquitatibus populi Hebraici, quæ continent.

1. Generationem & gesta Patriarcharum. 2. Peregrinationes. 3. Descensum in Ægyptum. 4. Servitutem. 5. Exitum de Ægypto. 6. Legem datam. 7. Tabernaculum & sacerdotium. 8. Numeros & Deuteronomium. 9. Jesum Nave & distributionem terræ promissæ. 10. Denique res gestas sub iudicibus. Nostra verò sententia est hæc universa re ipsa in Psalmis tractari, ac præcipue quæ spectant ad Christum Deum & hominem, ejusque membra sive Ecclesiam. Quæ sententia probatur ex Divo Chrysostomo, Divo Hilario, & Cassiodoro, supra relatis.

QUÆSTIO QUARTA.

De Epigraphe, Authore, numero, & ordine Psalmorum.

De titulis Psalmorum lege Divum Athanasium & Hilarium, qui de industria hoc explicant, itemque Gregorium Nyssæ. Hieronym. Augustin. Bed. Rupert. Dionysium. Scriptura psalmodiarum mysteria in titulis ponit, inquit Divus Augustinus, & frontem psalmi sublimitate sacramenti decorare solet, ut sciant qui intraturi sunt, quid intus agatur, suntque tituli velut psalmodiarum claves, per quas in psalmodiarum intellectum ingredimur. Porro psalmi 73 inscribuntur nomine Davidis & 39 sunt sine inscriptione, ex quibus tantum 7. citantur sub nomine Davidis, in divina Scriptura, scilicet, Psal. 2. in Lib. actor. c. 13. Psal. 17. L. 2. Reg. 22. Psal. 100. in 1. Paralip. 15. & de Psal. 105. 106. 107. & 135. fit mentio in 1. Eldæ volumine.

De Authore Psalmorum vide S. Aug. 17. de civit. c. 14. & Lud. Vives ibid. ubi ex sententia Jacobi Perez varias refert opiniones. Et quidem aliqui putant esse 10. authores Psalm. Quorum nomina ponuntur in Psalmodiarum titulis, nempe David, Salomon, Moyses, Asaph, Ethan, Heman, Idithun, & tres filii Core. Sed Origenes, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Cassiodorus, Remigius, Beda, Euthymius, Theodoretus, Diodorus, & Bellarminus, putant Psalmos unius esse Davidis, quæ Sententia auctoritate fortior est. Quamquam Divus Hieronymus secutus Hebræorum sententiam admittat multos Psalmorum authores. Idemque sententiæ Eugubinus, Lyranus, & Genebrardus noster. Tertia sententia quibusdam placet, scilicet Davidem omnes ferè Psalmos composuisse, sed quorundam psalmodiarum argumentum aliis tradidisse, quod Canticum seu cantu exprimerent. Et certe omnino verisimile est, Asaph, Idithun, & alios præstantissimos Davidis musicos carmina à Davide composita ornasse concentu, seu composuisse cantum. Quatuor autem erant principes, seu præfecti choris ob totidem mundi climata, ad quæ psalm. voces perventuræ erant. Asaph filius Barachia fuit princeps cantorum sonantium cymbalis æneis, & laudantium Dominum & ministrantium in conspectu arcæ. Hic composuit hos Psalmos, vel potius ipsorum cantum. 78. 79. 80. 81. 82. 83. Heman Esraita, sive ut Græci legunt, Iraclita, filius Joel de filiis Caath, fuit etiam cantor, B b b iij

EXERCITATIO

ANALYTICA ET THEOLOGICA IN PSALMOS.

QUÆSTIO PRIMA.

De multiplici divisione psalmodiarum.

Varie sunt psalmodiarum divisiones. Sed hic in genere sufficiat observare duas, ad quas plerique aliz reducuntur. Prima petitur ex causa formali: Secunda à finali. Dividuntur igitur psalmi in sex species.

In prima sunt alleluia seu Jubilæi. In secunda sunt cantica. In tertia psalmi intellectus. In quarta psalmi absolute scilicet dicti. In quinta tituli. In sexta orationes. Horum omnium vide explanationem in Idea Scripturæ sacræ.

Notandum quod periti Hebræi putant signum esse finis aliquis Libri seu lectionis psalmodiarum, quando in fine psalmi legitur, Amen, Amen, sive fiat, fiat.

QUÆSTIO SECUNDA.

De sex ordinibus Psalmorum.

Primus ordo. Quidam psalmi sunt simpliciter Didactici & Parænetici, quia scilicet docent, quid secundum legem & voluntatem Dei sit expetendum aut fugiendum, commendant virtutes, damnant vitia, & de finibus bonorum operum excellenter differunt, cujus generis seu ordinis sunt

1. 11. 14. 32. 36. 45. 50. 51. 62. 73. 78. 84. 90. 99. 101. 119. 127. 130. 131. 133. 134.

Secundus ordo. Quidam continent oracula & prædictiones de Christo, & Ecclesia. De diverso Ecclesiæ & sanctorum statu, & in his de piorum liberatione, impiorum verò interitu. Cujus ordinis sunt

2. 8. 9. 14. 16. 19. 21. 22. 24. 29. 40. 41. 45. 47. 53. 59. 67. 68. 72. 87. 89. 93. 95. 96. 97. 98. 100. 113. 117. 145.

Tertius ordo. Quidam sunt precatorii, in quibus scilicet Propheta vel sancti quicumque impiorum Dei misericordiam, petunt remitti peccata, liberari à periculis, Ecclesiam conservari. Hujusmodi sunt

3. 5. 7. 10. 12. 13. 17. 20. 25. 26. 28. 32. 35. 38. 39. 42. 43. 44. 54. 55. 56. 57. 61. 63. 64. 69. 70. 71. 74. 79. 80. 81. 83. 85. 86. 88. 94. 102. 119. 120. 123. 132. 140. 141. 142. 143.

Quartus ordo. Quidam sunt consolatorii, concionantes de penitentia, de expectanda certa piorum liberatione, de promissionibus, bonitate, justitia, judicio Dei, & impiorum futuro judicio. Ad hunc ordinem referuntur psalmi

4. 31. 37. 39. 52. 58. 68. 75. 77. 82. 84. 91. 92. 112. 119. 121. 128.

Quintus ordo Eucharisticorum, quibus scilicet post liberationem piorum à variis periculis post attritos hostes impios, post accepta beneficia, & averfa mala, aguntur Deo gratiæ: hujusmodi sunt

18. 23. 27. 30. 31. 33. 34. 46. 48. 60. 65. 66. 76. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 111. 114. 115. 116. 118. 119. 122. 124. 125. 126. 129. 135. 136. 138. 139. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150.

Sextus ordo. Quidam sunt mixti, constant enim partim precationibus, partim consolationibus, partim gratiarum actionibus, partim prædicationibus, partim denique doctrina & exhortationibus. Hujusmodi sunt plerique supradicti, quorum animadvertes numeros haberi recensitos in diversis ordinibus supra relatis, uti materia in illis comprehensa potest videre. Ita Dominus Villa-vincensis Libro de recto Theologie studio efformando. Vide Joan. Baptist. Phalengium Monachum Cassinatem in sacris Litteris & lingua Hebræa peritissimum, qui hortatu Greg. 13. summi Pontificis edidit Commentaria elaboratissima in Psalmos.